

**1358-1358- OFP - Acta Capitulum Generalium apud Argentinam Celebrati**

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Hec sunt acta capituli generalis apud Argentinam celebrati  
 anno Domini · M° · CCC° · LVIII° ·

**Iste sunt inchoaciones.**

Inchoamus hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: prior illius loci, ubi capitulum fuerit celebrandum, cum diffinitoribus capituli in celebratione procedat eiusdem, addatur sic: quilibet autem vicarius generalis provincie, per quemcumque modum fuerit legitime institutus, in absentia prioris provincialis locum provincialis teneat, fidelium dicat et licenciam loquendi tribuat et possit concedere litteras de beneficiis ordinis durante capitulo provinciali dumtaxat; et statim sequatur, prout ibidem ponitur: predicti ergo diffinitores tractabunt omnia.

Item. Inchoamus hanc: In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur in principio: capitulum generale, deleatur, quod statim sequitur usque ibi exclusive: · XVIII · provinciales, et dicatur sic: de biennio in biennium una vice Parisius, altera Bononie celebretur, nisi magistro et diffinitoribus ex causa legitima de loco aliud videatur, (predicti autem · XVIII · provinciales) causas in mente habentibus, et statim sequatur, ut ibi ponitur: et · XVIII · provinciales in tercio anno immediate sequenti, nisi infra festum sancti Michaelis vel in ipso festo magistrum ordinis mori vel amoveri contigerit.

**Iste sunt confirmaciones.**

Confirmamus hanc: In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: qui durante capitulo vices magistri ordinis [gerat in omnibus] dumtaxat, que ad tractatus et acta capituli pertinebunt, deleatur illud, quod sequitur: et extra capitulum locum suum teneat, et dicatur sic: et locum magistri ordinis ubique teneat, fidelium dicat et licenciam loquendi tribuat et possit concedere litteras de beneficiis ordinis ut magister, et statim sequatur, prout ponitur ibi: sed in diffinicionibus unam habeat vocem. Et hec habet · III · capitula.

Item. Confirmamus hanc: In ordinario in rubrica de festo corporis Christi in fine (et) addatur sic: quod si in octavis corporis Christi festum simplex vel maius occurrerit, in sequentem immediate sextam feriam transferatur, preterquam festum Iohannis baptiste et apostolorum Petri et Pauli. Et hec habet · III · capitula.

Item. Confirmamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: volumus, quod electio predicta spectet tantum ad priores conventuales et duos fratres ad hoc idem electos [de quolibet conventu], addatur sic: pro qualibet electione de priore provinciali fienda, si pluries fieri contigerit, noviter electos. Et hec habet · III · capitula.

**Iste sunt admoniciones et ordinaciones.**

Inprimis volumus et ordinamus et districte imponimus prioribus provincialibus, conventualibus et presidentibus universis, quatenus regulam et constitutiones nostras quantum ad singula precepta contenta in eisdem faciant inviolabiliter observari, transgressores penis taxatis in dictis constitutionibus sub pena absolucionis indispensabiliter punientes.

Item. Mandamus et districte imponimus prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulum provincialium universis, quatenus singuli studeant diligentissime studium in suis provinciis reformare, prout in actis capituli generalis Veneciis celebrati extitit serius ordinatum<sup>1</sup>, addentes, quod in singulis provinciis unus conventus vel plures pro studio grammaticæ et logice deputetur, ubi iuvenes mittantur ad studium, prout capitulum provinciale iudicaverit expedire; et volumus, quod nullus lector logice vel phylosophie promoveatur ad aliquod studium, nisi habeat ydoneum successorem, et quod priores ac etiam presidentes scholas lectorum principalium sequantur, nisi fuerint legitime impediti, et cogant fratres omnes et singulos ad sequendum; et quod non licencient fratres ad villam vel ad terminos tempore lectionum, nisi pro evidenti necessitate conventus et fratrum. Volentes insuper, quod priores provinciales habentes in suis studiis studentes discolos et insufficientes, remittant [eos] ad suam provinciam indilate, scribentes suis provincialibus defectum et insufficienciam eorumdem.

Item. Mandamus prioribus provincialibus universis et conventualibus, ne fratrem aliquem exponant ad audienciam confessionum, nisi prius examinatum sollicite et sufficientem inventum; nec committant officium inquisitionis nisi fratribus maturis et religiosis, discretis et litteratis et in omnibus ydoneis ad officium tam salubre exercendum; et volumus, quod nullus fiat prior, nisi sufficienter sciat proponere populo verbum dei.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus frater apostata vel incarceratus possit fieri confessor monasteriorum dominarum; et quod nullus frater utatur calceis acutis et strictis aut vestibus notabiliter curiosis.

Item. Volumus et ordinamus, quod fratres conventuum vel pro aliquibus conventibus ad ordinem recepti, qui quinque annis continuis in extraneis conventibus steterint, ad proprios conventus redire cogantur, nisi propter officium prioratus vel lectoratus vel studium aut officium, scandalum aut aliam causam eque bonam, provincialis et diffinitorum capituli provincialis iudicio discernendam, magistris in theologia dumtaxat exceptis.

<sup>1</sup> Cf. supra pag. 377 l. 38 sqq.

Item. Voluit reverendus pater magister ordinis et diffinitores capituli generalis, quod fratres omnes et singuli inducant personas devotas nostro ordini ad subveniendum pro opere capelle, que Bononie ordinatur pro beati Dominici patris nostri sepulcro.